

num. 560. Quær. I. probata fuit sententia negativa : sed nunc probamus contrariam cum *Syloio, Colet, Sylvestro, Cano, etc.*

Quær. XX. An si Pœnitens confessus sit Superiori, et inculpabiliter sit oblitus peccati reservati, poterit deinde à quolibet confessario de illo absolvi? *l. 6. n. 597*, probavimus sententiam negativam; sed nunc ex auctoritate *Pontas, Colet*, et signanter *Sylvii*, qui affirmativam cum *Sylvest. Nao. Adrian. Angel. Coarr.* et pluribus aliis pro certa habet, eam reprobare non possumus.

Quær. XXI. An inhabilitas ad celebrandum, quam incurrit Confessarii sollicitantes, incurrat ante sententiam? *l. 6. n. 705*. affirmatur; sed nunc vide id quod dicitur in hac Editione num. citato.

Quær. XXII. An Episcopi possint absolvere ab excommunicatione eos, qui tentaverunt extrahere delinquentes ab Ecclesia? *Tom. 9. Append. II. De Privilegiis n. XXVIII.* affirmatum est; sed nunc oppositum tenendum cum *Fagnano*, qui id probat; vide *l. c.*

Quær. XXIII. In Praxi Confessariorum (*V. Tom. VIII.*) dicitur *Cap. ult. n. 287.* Episcopis, eorumque Delegatis concessa esse facultas impertiendi Indulgentiam Plenariam infirmis eam petentibus in articulo mortis, addendum ad hoc requiri, ut Episcopi hanc facultatem à Pontifice regnante expostulent, et obtineant.

Quær. XXIV. In Examine Ordinandorum (*V. Tom. VIII. n. 98.*) dicitur ex Rubrica illicitum esse in Missa adhibere vinum quod incipit *accessere* : adverte ibi quod additum est.

Quær. XXV. In eodem Exam. *n. 122.* dicitur, dubium esse an sit probabilis opinio, quod celebrare sine cruce non sit mortale. Sed re maturius perpensa, nunc satis probabilis mihi videtur, cum inter Doctores sit communis; nec certum habetur fundamentum in oppositum.

Quær. XXVI. An Calix si denuò inaretur, denuò sit consecrandus? *l. 6. n. 370. dub. 2.* probabilius sensui negandum cum *Laym. Lugo, etc.* Sed re melius perpensa, nunc puto cum *Ferrari, Suar. etc.* probabilius iterum calicem esse consecrandum; vide annotationem ultimo loco adjunctam in loco citato.

FINIS TOMI SEPTIMI.

NOTÆ.

DE MATRIMONIO.

NOTA I.

(Pag. 3. lin. 31, ad verb. *Tripudia.*)

QUAMVIS concilium Tridentinum tempore Adventus aut Quadragesimæ sola nuptiarum solemnia interdicere videatur, in Galliis tamen ex usu recepto, matrimonium etiam sine solemnitate per hocce tempus celebrare non licet. Ita sancitum est in pluribus conciliis provincialibus; et ideo cum adest causa legitima petenda est dispensatio.

NOTA II.

(Pag. 8, lin. 6, ad verb. *Ante consummationem.*)

In Galliis concessâ bannorum dispensatione, nulla fit ordinariè post matrimonium proclamatio. Hæc tamen facienda esset, si id præcipiat episcopus vel ita ferat rituale diœcesis.

NOTA III.

(Pag. 9, lin. 4, ad verb. *Denunciationes.*)

Si unus contrahentium vel uterque in duobus locis æquale circiter domicilium habeat, vel si ex aliena parochia non à longo tempore venerit, banna in utroque domicilio promulganda sunt, juxta variarum diœceseon statuta vel consuetudines.

Notandum est insuper ex veteri disciplina Ecclesiæ gallicanæ, minorum banna promulganda esse non solum in parochiâ ubi proprium habent domicilium, sed etiam in parochiâ parentum, tutorum, etc. Ita etiam codex civilis, *art. 168.*

Minores autem quoad matrimonium dicuntur viri qui vigesimum et quintum annum si habeant ascendentes, vel si non habeant ascendentes, vigesimum primum annum nondum compleverunt, et feminae post vigesimum primum annum completum, in quacumque hypothesisi. Vide codicem civilem, *art. 148 et seqq.*

NOTA IV.

(Pag. 10, lin. 22, ad verb. *Episcopo.*)

in variis diœcesibus plus vel minus temporis requiritur, sed ordinariè saltem una dies integra post ultimam bannorum proclamationem antequam matrimonium celebrari possit. Et pariter longius vel brevius

intervallum exigitur ut denuò fieri debeant proclamationes si matrimonium non statim sequatur. De his consule statuta vel consuetudinem tuæ diœcesis.

NOTA V.

(Pag. 18, lin. 6, ad verb. *Ferendæ sententiæ.*)

Præter hannonum ecclesiasticas proclamationes, aliæ insuper civiles ex codice novo requiruntur, quæ licet parochos non spectent, de iis tamen quædam hic notanda iudicavimus.

1º Jure civili duæ tantum proclamationes requiruntur, quæ fieri debent ante januam domus communis ab officario publico, duabus dominicis diebus sese immediate subsequentibus. Insuper exemplar instrumenti proclamationem continentis ad valvas domus communis affixum maneat necesse est per totum tempus quod inter utramque intercedit. Matrimonium autem celebrari non potest ante diem tertium ab ultimâ proclamatione. Codex civilis, *art. 63 et 64.*

2º Denunciationes fieri debent in loco ubi uterque contrahentium habet domicilium, et etiam in loco domicilii præcedentis, si domicilium actuale non nisi per sex menses stabiliatur, et insuper si contrahentes sint minores, in domicilio eorum sub quorum potestate constituuntur. *Art. 166 et seqq.*

3º Si intra annum ab ultimâ proclamatione matrimonium non celebretur, iterandæ sunt proclamationes. *Art. 65.*

4º Unius tantum proclamationis dispensatio obtineri potest. *Art. 169.* Hæc autem dispensatio per procuratorem regium obtinetur.

5º Vulgo censent jurisperiti proclamationes civiles non præcipi sub penâ nullitatis.

NOTA VI.

(Pag. 25, lin. 12, ad verb. *Legalis.*)

Cum non vigentem olim in Galliis adoptionem codex novus introduxerit, dubium occurrit utrum cum eâ revixerint impedimenta ecclesiastica. Porro circa hoc disputatur inter theologos; unde matrimonium non esset celebrandum nisi prius obtentâ dispensatione. Notandum est autem impedimenta ecclesiastica quæ ex adoptione proveniunt non consentire cum impedimentis novâ lege statutis. De his vide quæ infra dicentur ubi de impedimentis civilibus.

NOTA VII.

(Pag. 27, lin. 8, ad verb. *Tertio.*)

Jus civile eodem modo gradus consanguinitatis computat in lineâ rectâ quam jus canonicum: multum vero ab eo differt in computandis gradibus in lineâ collateralis. Tot enim numerat gradus quot sunt personæ ascendendo ad stipitem et ab hoc descendendo, dempto tamen stipite. Unde fratres sunt inter se in secundo gradu, avunculus et nepos in tertio, consobrini germani in quarto et sic deinceps. Ita *cod. civ. art. 738.*

NOTA VIII.

(Pag. 32, lin. 20, ad verb. *Subsecuta sit.*)

Cum attentatio matrimonii sive ante, sive post adulterium, sed durante matrimonio legitimo, impedimentum constituat, inde sequitur eos qui post divortium legale, priori non obstante matrimonio, aliud contraxerunt et copulam habuerunt, non posse in posterum simul jungi quin impedimenti dispensationem obtineant.

NOTA IX.

(Pag. 49, lin. 45, ad verb. *In casu necessitatis.*)

Quamvis auctor generatim affirmet cum aliis theologis matrimonium sine paroco contractum, etiam in casu necessitatis, invalidum esse, ubi tridentina lex viget, certum tamen videtur legem hanc non obligare cum adest moralis impossibilitas parochum adeundi, v. gr. tempore persecutionis; et ita pluries à SS. PP. responsum est pro tempore perturbationis gallicanæ. Si tamen haberi posset alius sacerdos à paroco vel ab ordinario deputatus, absque dubio adeundus esset; imo quidam putant idem dicendum, si posset alius sacerdos haberi, quamvis non deputatus. Sed in his casibus semper requiritur præsentia testium.

Ex his sequitur matrimonia inita tempore persecutionis gallicanæ, coram solo magistratu vel sacerdote intruso, fuisse invalida quotiescumque possibilis erat recursus ad parochum legitimum vel ad alium sacerdotem deputatum. Quæ autem fiebant apud parochum titularem quamvis schismaticum valida erant, sed illicita, modo tamen contrahentes domicilium habuerint in territorio quod parochiam illius constituerebat ante novam civilem circumscriptionem. Ratio est quia illi parochi suum titulum non amiserant per juramentum.

NOTA X.

(Pag. 51, lin. 45, ad verb. *Gravi.*)

Quæ ab auctore dicuntur de paroco validè matrimoniis assistente, quamvis id ipsi fuerit ab episcopo justè interdictum, non debent intelligi de paroco *succursali*, cum iste non habeat nisi jurisdictionem ad nutum episcopi revocabilem.

NOTA XI.

(Pag. 55, lin. 5, ad verb. *Contrahendi.*)

Antequam vagorum hanna proclametur, non solum certus esse debet parochus eos esse liberos, sed insuper ab iis exquirere debet instrumenta authentica quibus constet de eorum baptismo, ætate, loco nativitatis, de consensu vel morte parentum, etc. Idem exigendum pariter à militibus, pro quibus aliundè necessaria est superiorum militarium licentia. Disputatur autem utrum matrimonium illorum

valide celebrari possit coram exercitûs capellanis saltem ubi degunt in regionibus catholicis, ac proinde obtinenda foret licentia parochi loci.

NOTA XII.

(Pag. 56, lin. 15, ad verb. *In domibus herorum.*)

Non eadem est omnium diœceseon disciplina quoad tempus requisitum et alias condiciones ut domicilium sufficiens acquiratur ad matrimonium contrahendum. Hinc consulendæ sunt leges vel consuetudines locorum.

In nonnullis diœcesibus, dispositiones codicis civilis adoptatæ fuerunt. Porro juxta codicem civilem, *art. 74*, domicilium acquiritur pro matrimonio, si quis constanter habitet in eodem loco per sex menses. Et id verum est ex jurisperitorum interpretatione, quamvis intentione non habeat illuc domicilium transferendi. Unde matrimonium ibi valide contrahi potest, sicut etiam tunc valide contrahitur in domicilio propriè dicto. Illud autem domicilium propriè dictum in eo loco est ubi quisque præcipuam habitationis et negotiorum sedem fixit. Minores autem illud domicilium habent apud patrem et matrem vel tutorem, quamvis etiam illi contrahere possint in domicilio facti, post sufficientem habitationem, ut docent jurisperiti. Vide *cod. civ. art. 102 et seqq.*

Si verò non satis constet de sufficienti domicilio, propter incertam diœcesis disciplinam, petenda est ab alterius domicilii parochia licentia.

NOTA XIII.

(Pag. 66, lin. 28, ad verb. *Ne coactæ nubant.*)

Admittunt communiter theologi gallicani raptum seductionis etiam impedimentum constituere. Unde quamvis hæc sententia non omninò firmis rationibus innitatur, cum sit tamen probabilis et tutior, huic in praxi standum est.

NOTA XIV.

(Pag. 80, lin. 44, ad verb. *A nuptiis desistere.*)

Præter casus apud auctorem memoratos in quibus episcopi jure communi dispensare possunt, tenent insuper episcopi per plures ex usu et præscriptione legitima, facultatem in aliis quibusdam impedimentis dispensandi. Usus autem ille varius est ac proinde non omnes eandem et æqualem habent facultatem.

NOTA XV.

(Pag. 92, lin. 17, ad verb. *Dirigendæ.*)

Præter canonica impedimenta de quibus apud auctorem disseritur, quædam sunt in Galliis lege civili introducta, quorum notitiam compe-

tentem parochos habere necesse est, cum hæc ad praxim referant et gravium sæpè difficultatum occasionem præbere possint. De iis ergo quædam maxime scitu necessaria hic annotare opportunum duximus. Hæc autem impedimenta sunt sequentia:

I. *Error.* Illud juris naturalis impedimentum expressè agnoscit codex civilis; sed non ultra naturæ limites illud extendit, proindeque standum est regulis apud auctorem expositis. De illius autem effectu quædam in lege adduntur quæ sedulo notanda sunt.

ART. 180. Le mariage qui a été contracté sans le consentement libre des deux époux, ou de l'un d'eux, ne peut être attaqué que par les époux, ou par celui des deux dont le consentement n'a pas été libre.

Lorsqu'il y a eu erreur dans la personne, le mariage ne peut être attaqué que par celui des deux époux qui a été induit en erreur.

ART. 181. Dans le cas de l'article précédent, la demande en nullité n'est plus recevable, toutes les fois qu'il y a eu cohabitation continuée pendant six mois depuis que l'époux a acquis sa pleine liberté ou que l'erreur a été par lui reconnue.

II. *Conditio.* Cum in Galliis servitus propriè dicta locum habere non possit, hic tantum quæstio est de civiliter mortuis. Porro in lege nova matrimonia civiliter mortuorum nulla omninò quoad effectus civiles declarantur. Ita codex civilis, *art. 25*. Non autem irrita sunt quoad vinculum, quia mortuis civiliter aufertur tantummodò conditio civilis non autem naturalis, ideoque possunt ii valide inire omnes juris naturæ contractus. Patet etiam quòd error circa conditionem civiliter mortui matrimonium non dirimeret quoad vinculum, siquidem error personæ non autem qualitatum in lege reputatur impedimentum dirimens. Imo censent plures jurisperiti quòd sive parti bonæ fide contrahenti, sive etiam proli civiles effectus concederentur. Ita etiam judicavit curia suprema. *Arrêt de la cour de Cassat. du 6 janv. 1816.*

III. *Cognatio.* Duplex in lege cognatio agnoscitur, alia naturalis, alia legalis. Utraque parit civile impedimentum.

De cognatione naturali hæc in codice statuuntur.

ART. 161. En ligne directe, le mariage est prohibé entre tous les ascendans et descendans légitimes ou naturels, et les alliés dans la même ligne.

ART. 162. En ligne collatérale, le mariage est prohibé entre le frère et la sœur légitimes ou naturels, et les alliés au même degré.

ART. 163. Le mariage est encore prohibé entre l'oncle et la nièce, la tante et le neveu.

Ultimus autem hic articulus intelligi debet de proavunculo et pronepote, gallicè *le grand oncle et la petite nièce*. Ita declaratio consilii status, die 17 maii anni 1808 approbata, quæ proinde vim legis habet. Utrum autem comprehendat solummodo amitam et nepotem, avunculum et neptem legitimos, an etiam merè naturales, non consentiunt jurisperiti. Ex duobus autem prioribus articulis matrimonium inter ascendentes et descendentes, inter fratres et sorores merè naturales invalidum esse putat Delvincourt, licet cognatio non legaliter agnita foret, quia lex generaliter loquitur et aliundè *legalis* agnitio consanguinitatem probat, sed non illam efficit.

De cognatione legali sic in codice statuuntur;

ART. 348. L'adopté restera dans sa famille naturelle, et y conservera tous ses droits: néanmoins le mariage est prohibé, — Entre l'adoptant, l'adopté et ses descendans; — Entre les enfans adoptifs du même indi-

vidu : — Entre l'adopté et les enfans qui pourraient survenir à l'adoptant : — Entre l'adopté et le conjoint de l'adoptant, et réciproquement entre l'adoptant et le conjoint de l'adopté.

IV. *Crimen*. Adulterium olim, si divortium propter hanc causam pronuntiatum fuerat, matrimonium inter complices in perpetuum dirimebat, ne ad adulterium spe matrimonii incitarentur. Unde illi quorum matrimonium vigente lege de divortio sic dissolutum est, etiam nunc cum suo complice contrahere non possunt. Vide cod. civ. art. 298.

V. *Metus*. Impedimentum quod ex metu nascitur agnoscit etiam lex civilis. Metus autem impedimentum constituit cum malum grave et imminens timetur, sive illud imminet ipsi contrahenti, sive ejus ascendentibus aut descendentibus, sive metus incutiatur ab uno contrahentium, sive à tertiâ personâ. A quo autem et quando matrimonii nullitas postulari debeat, vide in articulis quos retulimus, ubi de errore.

VI. *Ligamen*. Matrimonium validè contractum cum formalitatibus lege definitis impedimentum est dirimens; et qui hoc matrimonio nondum dissoluto aliud attentaret pœnâ trimerium plecteretur.

ART. 147. On ne peut contracter un second mariage avant la dissolution du premier.

ART. 188. L'époux au préjudice duquel a été contracté un second mariage, peut en demander la nullité, du vivant même de l'époux qui était engagé avec lui.

ART. 189. Si les nouveaux époux opposent la nullité du premier mariage, la validité ou la nullité de ce mariage doit être jugée préalablement.

ART. 340. Quiconque étant engagé dans les liens du mariage en aura contracté un autre avant la dissolution du précédent, sera puni de la peine des travaux forcés à temps.

L'officier public qui aura prêté son ministère à ce mariage, connaissant l'existence du précédent, sera condamné à la même peine.

Etiam post dissolutionem sui matrimonii mulier aliud inire non potest nisi decem menses effluxerint. Controvertitur autem utrum hæc prohibitio pœnam nullitatis importet.

ART. 228. La femme ne peut contracter un nouveau mariage qu'après dix mois révolus depuis la dissolution du mariage précédent.

VII. *Affinitas*. Quæ de affinitate codex civilis statuerit jam vidimus ubi de cognatione. Hic autem notandum est 1.º affinitatem locum habere in foro civili, licet matrimonium consummatum non fuerit; 2.º illam, juxta quosdam, oriri etiam ex commercio illicito; 3.º tandem matrimonium juxta plures, non dirimi inter avunculum et neptem, vel amitam et nepotem, si non sint consanguinei, sed tantum affinitate conjuncti.

VIII. *Ætas*. Vir sive mulier ante certam ætatem matrimonium civiliter contrahere non possunt. Hæc ætas autem non eadem est quam quæ jure canonico requiritur.

ART. 144. L'homme avant dix-huit ans révolus, la femme avant quinze ans révolus, ne peuvent contracter mariage.

ART. 185. Néanmoins le mariage contracté par des époux qui n'avaient point encore l'âge requis, ou dont l'un des deux n'avait point atteint cet âge, ne peut plus être attaqué, 1.º lorsqu'il s'est écoulé six mois depuis que cet époux ou les époux ont atteint l'âge compétent; 2.º lorsque la femme qui n'avait point cet âge a conçu avant l'échéance de six mois.

ART. 186. Le père, la mère, les ascendans et la famille qui ont consenti au mariage contracté dans le cas de l'article précédent, ne sont point recevables à en demander la nullité.

IX. *Defectus consensus paterni*. Filii sive legitimi, sive naturales, item et filia ante majoritatem adeptam matrimonium valide contrahere non possunt absque consensu parentum. De illius consensus necessitate ita statuitur in codice civili.

ART. 148. Le fils qui n'a pas atteint l'âge de vingt-cinq ans accomplis, la fille qui n'a pas atteint l'âge de vingt-un ans accomplis, ne peuvent contracter mariage sans le consentement de leurs père et mère : en cas de dissentiment, le consentement du père suffit.

ART. 149. Si l'un des deux est mort, ou s'il est dans l'impossibilité de manifester sa volonté, le consentement de l'autre suffit.

ART. 150. Si le père et la mère sont morts, ou s'ils sont dans l'impossibilité de manifester leur volonté, les aïeuls et aïeules les remplacent : s'il y a dissentiment entre l'aïeul et l'aïeule de la même ligne, il suffit du consentement de l'aïeul.

S'il y a dissentiment entre les deux lignes, ce partage emportera consentement.

ART. 160. S'il n'y a ni père ni mère, ni aïeuls ni aïeules, ou s'ils se trouvent tous dans l'impossibilité de manifester leur volonté, les fils ou filles mineurs de vingt-un ans ne peuvent contracter mariage sans le consentement du conseil de famille.

Adepta autem majoritate, quæ, ut videre est in articulis præcedentibus, varia est in ordine ad matrimonium, pro variis circumstantiis, filii aut filia consensus parentum saltem petere debent per actum obsequiosum antequam matrimonium contrahant. Hos autem actus obsequiosos non requiri sub pœna nullitatis apud omnes constat. Vide, si libet, codicem civilem, art. 151 et seqq.

ART. 158. Les dispositions contenues aux articles 148 et 149, et les dispositions des articles 151, 152, 153, 154 et 155, relatives à l'acte respectueux qui doit être fait aux père et mère dans le cas prévu par ces articles, sont applicables aux enfans naturels légalement reconnus.

ART. 159. L'enfant naturel qui n'a point été reconnu, et celui qui, après l'avoir été, a perdu ses père et mère, ou dont les père et mère ne peuvent manifester leur volonté, ne pourra, avant l'âge de vingt-un ans révolus, se marier qu'après avoir obtenu le consentement d'un tuteur ad hoc qui lui sera nommé.

Nullitas matrimonii à minore contracti absque consensu requisito parentum, etc. non potest invocari nisi ab iis quorum erat consensus dare vel à sponso qui consensu indigebat.

ART. 182. Le mariage contracté sans le consentement des père et mère, des ascendans, ou du conseil de famille, dans les cas où ce consentement était nécessaire, ne peut être attaqué que par ceux dont le consentement était requis, ou par celui des deux époux qui avait besoin de ce consentement.

ART. 183. L'action en nullité ne peut plus être intentée ni par les époux, ni par les parens dont le consentement était requis, toutes les fois que le mariage a été approuvé expressément ou tacitement par ceux dont le consentement était nécessaire, ou lorsqu'il s'est écoulé une année sans réclamation de leur part, depuis qu'ils ont eu connaissance du mariage. Elle ne peut être intentée non plus par l'époux, lorsqu'il s'est

écoulé une année sans réclamation de sa part, depuis qu'il a atteint l'âge compétent pour consentir par lui-même au mariage.

X. *Clandestinitas*. Matrimonium clandestinum jure civili sicut canonico invalidum est. Tria autem præcipue requiruntur ad vitandam clandestinitatem; 1.º Bannorum proclamatio; 2.º præsentia magistratûs et testium; 3.º publicitas celebrationis.

De bannorum proclamationibus jam supra diximus ex consensu jurisperitorum eas non requiri sub pœnâ nullitatis, nisi tamen conjugium à Gallis extra regnum iniatur, ut plures opinantur et probabiliter infertur ex art. 170 Codicis civilis.

ART. 170. Le mariage contracté en pays étranger entre Français, et entre Français et étrangers, sera valable, s'il a été célébré dans les formes usitées dans le pays, pourvu qu'il ait été précédé des publications prescrites par l'article 63, au titre *des Actes de l'état civil*, et que le Français n'ait point contrevenu aux dispositions contenues au chapitre précédent.

Quantum ad præsentiam magistratûs constat eam omnino necessariam esse ad matrimonii validitatem.

ART. 165. Le mariage sera célébré publiquement, devant l'officier civil du domicile de l'une des deux parties.

ART. 191. Tout mariage qui n'a point été contracté publiquement, et qui n'a point été célébré devant l'officier public compétent, peut être attaqué par les époux eux-mêmes, par les père et mère, par les ascendants, et par tous ceux qui y ont un intérêt né et actuel, ainsi que par le ministère public.

Quid intelligatur nomine domicilii in ordine ad matrimonium jam supra dictum est.

Testes requisiti debent esse numero quatuor, masculini sexûs et ætate majores. Attamen vulgò tenetur duos tantum sufficere ad validitatem matrimonii, et ita Gratianopoli judicatum est anno 1817.

Publicitatem celebrationis requiri etiam certum est ad matrimonii validitatem. Quid autem constituat publicitatem lex non definit, nec consentiunt jurisperiti. Censet D. Proudhon sufficere præsentiam officarii publici et testium requisitorum; alii autem probabilius volunt necessarium esse ut quicumque voluerit adesse possit. Insuper matrimonium celebrari debet in *domo communi*, an autem id requiratur sub pœnâ nullitatis disputatur inter jurisperitos. Vulgò tamen admittitur pendere hoc à variis circumstantiis quæ ad judicium arbitrium relinquuntur. Fieri enim potest ut celebratio matrimonii licet in alio loco facta satis publica fuerit, et tunc sine dubio validum censeretur ut pluries a tribunalibus judicatum est, et imprimis à curiâ supremâ anno 1807.

Circa impedimenta civilia notandum est 1.º ea omnia quæ personalem incapacitatem constituunt, qualia sunt defectus ætatis, libertatis aut consensûs paterni, ligamen, affinitas, consanguinitas, matrimonium Gallorum dirimere quocumque ierint, ut constat tum ex art. 170 antea citato; tum ex art. 3 in quo expresse statuitur Gallos ubicumque etiam extra regnum affici et regi legibus circa statum et capacitatem personarum. Unde matrimonium cum his impedimentis apud exteras regiones contractum nihilominus invalidum judicaretur. Excipe tamen si quis Gallus esse et reputari desinat, v. gr. domicilium extra regnum transferendo sine intentione reditûs.

2.º Tria sunt impedimenta de quibus à rege dispensari potest, scilicet

defectus ætatis, ex art. 145; consanguinitas sive inter avunculum et neptem, sive inter amitam et nepotem ex art. 164; tandem affinitas in linea collateralali, Gallicè *entre beaux-frères et belles-sœurs*, ex lege anni 1832. Illæ autem dispensationes per procuratorem regium postulari debent.

3.º Nullitas matrimonii ob impedimenta civilia non semper ejusdem naturæ est. Aliquando enim post certum temporis lapsum vel positis quibusdam circumstantiis, hæc nullitas invocari non potest, ut videre est pro impedimentis erroris, violentiæ, et ex defectu ætatis aut consensûs paterni. Tunc enim elapso tempore et positis circumstantiis impedimenta vi legis ipsius relaxantur, et matrimonium vi consensûs perseverantis fit validum, quia jam observatis solemnitatibus ordinariis, nullas alias lex requirit. Aliquando etiam nullitas invocari non potest nisi à certis personis, ut pariter videre est in art. 180 et sequentibus. In aliis autem casibus nullitas non cessat nisi cessante causâ vel per dispensationem; et ab omnibus quorum interest potest invocari.

ART. 184. Tout mariage contracté en contravention aux dispositions contenues aux articles 144, 147, 161, 162 et 163, peut être attaqué soit par les époux eux-mêmes, soit par tous ceux qui y ont intérêt, soit par le ministère public.

ART. 190. Le procureur du roi, dans tous les cas auxquels s'applique l'article 184, et sous les modifications portées en l'article 185, peut et doit demander la nullité du mariage, du vivant des deux époux, et les faire condamner à se séparer.

Idem pro clandestinitate statuitur in art. 191 quem supra retulimus.

4.º Impedimenta civilia, ut cuique patebit, non eadem sunt quam impedimenta canonica. Ex his enim plura lex omisit; alia non eodem modo definit; quædam etiam superaddidit. Hic ergo quæri potest utrum matrimonium cum impedimento merè civili contractum, invalidum sit etiam quoad forum conscientiæ. Circa hoc Theologi hodierni disputant. Attamen probabilior videtur sententia affirmans, quia ex unâ parte principes posse impedimenta vere dirimentia constituere satis communiter admittitur, et ex alia parte codex civilis verba usurpat adeo absoluta ut nulli dubium esse possit quin legislatores fœdus etiam naturale irritare voluerint. Quidquid sit, hæc sententia saltem in praxi certò tenenda est utpote probabilis et tutior. Unde 1.º fideles tenentur in conscientiâ coram magistratu civili contrahere; tum quia lex civilis id præcipit sub pœnâ nullitatis, tum quia, si matrimonium coram Ecclesiâ tantum iurent, possent aliud etiam coram officario publico contrahere, ex quo gravia scandala orientur. Aliundè sub gravissimâ pœna parochis prohibetur ne suum ministerium præstent iis qui coram magistratu civili nondum contraxerunt: 2.º Parochi benedictionem nuptialem iis impertire non debent quos sciunt civili impedimento irrelitos, etsi jam civiliter contraxissent, nisi postquam nullitas amplius invocari non potest; sive quia matrimonium probabiliter invalidum esset etiam in foro conscientiæ, sive quia posset civiliter dissolvi, ex quo, ut jam diximus, scandala vel alia mala orientur.

DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS.

NOTA XVI.

(Pag. 104, lin. 3, ad verb. *Exempto.*)

Quæ apud auctorem de regularium exemptione leguntur, in Galliis locum non habent, cum apud nos monasteria et religiosi episcoporum jurisdictioni subiciantur. Imò jam ex veteri disciplinâ olim receptum erat ut censuræ ab episcopis in religiosos ferri possint propter causas regimen diœcesis spectantes, v. gr., si religiosi confessiones secularium audirent vel à casibus reservatis absolverent, non obtenta episcopi facultate.

NOTA XVII.

(Pag. 124, lin. 16, ad verb. *Omnes censuras.*)

Quamvis juxta plures Theologos quilibet sacerdos approbatus possit à censuris non reservatis absolvere etiam extra confessionem, in Galliis tamen usus est contrarius. Notandum insuper quòd si censura ad forum contentiosum deducta sit, simplex sacerdos ab eâ non possit absolvere.

NOTA XVIII.

(Pag. 125, lin. 34, ad verb. *Non potest adiri.*)

In quibusdam diœcesibus ex usu possunt episcopi absolvere à censuris papalibus modo non sint notoriæ notorietate juris, id est in foro externo sufficienter comprobatae; in aliis vero non possunt si notoriæ sint etiam sola notorietate facti. De iis consuli debent locorum consuetudines et statuta.

NOTA XIX.

(Pag. 127, lin. 11, ad verb. *Titulum habeant.*)

Quamvis concilium Tridentinum in Galliis quoad omnia non fuerit receptum, episcopi tamen ex usu et præscriptione legitimâ, facultatem obtinent ab eo concessam quoad casus occultos. Imò communiter à theologis gallis admittitur episcopos et vicarios generales hanc facultatem aliis sacerdotibus delegare posse.

NOTA XX.

(Pag. 127, lin. 41, ad verb. *In ea reservatos.*)

Bulla Cœnæ in Galliis recepta non est, ac proinde juri communi et legitimis stare licet consuetudinibus. Episcopi autem apud nos non tan-

tum per se, sed etiam per vicarios generales, imo et per delegatos, ab hæresi etiam publicâ sive pro foro interno, sive pro externo absolvere consueverunt; quod quidem per longam et legitimam præscriptionem vii juris obtinuisse censetur.

NOTA XXI.

(Pag. 131, lin. 40, ad verb. *Exigitur persona.*)

Quamvis jure communi præcipiatur absolutis ab episcopo vel ejus delegato, ut cessante impedimento ad sedem apostolicam se præsentent, usus tamen contrarius in Galliis prævaluit. Unde sic absoluti ab omni obligatione et pœnâ eximuntur præter impositam satisfactionem; nec ob negligentiam vel omissionem sese præsentandi in eandem censuram reincident, nisi qui hos absolvit hanc obligationem expressè imposuerit et sub pœna reincidenti. Hæc tamen et alia de usu Galliarum generali sic intelligi debent ut semper excipiantur aliquæ forsan diœceses ubi alia vigeret disciplina specialis. Notandum insuper quod etiam in Galliis adsit obligatio sese præsentandi ad episcopum, sed non sub pœnâ reincidenti, pro pœnitente qui in casu necessitatis à censurâ reservatâ absolutus fuit à sacerdote pro alio casu facultatem non habente.

NOTA XXII.

(Pag. 156, lin. 2, ad verb. *Est vitandus.*)

In Galliis disciplina generalis conformis est huic sententiæ quæ tenet clericum percussorem non esse vitandum nisi fuerit juridicè convictus.

NOTA XXIII.

(Pag. 170, lin. 25, ad verb. *Possit ipse.*)

Quæ apud auctorem leguntur de officiis sæcularibus, nempe iudicis, advocati, procuratoris, testis, tutoris, etc., quibus privari contendit excommunicatum vitandum, non recepta sunt in Galliis ubi jam à longo tempore vigeat contraria consuetudo.

NOTA XXIV.

(Pag. 180, lin. 4, ad verb. *Excommunicatio major.*)

Non omnes excommunicationes quæ apud auctorem recensentur, sive tanquam non reservatæ, sive tanquam Episcopis aut S. Pontifici reservatæ, in Galliis vim obtinent. Quædam enim vel nunquam admittæ fuerunt, vel desuetudine abrogatæ sunt. Quæ autem vigeant et quæ reservantur non eadem sunt in omnibus diœcesibus. Quapropter ab iis recensendis abstinemus. Inter censuras non reservatas quænam adhuc vigeant non necesse est ut perfecte sciant confessarii, nisi quantum ad eos spectat et ne has incurrant: nam alios ab his absolvere possunt confessarii quilibet approbati: aliæ autem quæ in variis diœcesibus vel episcopis vel S. Pontifici reservantur, ordinariè notatas reperire est in

ritualibus aut statutis aut litteris approbatoriis; quæ igitur à confessariis sedulo consulenda sunt. Hæc dicta sint non solum de excommunicatione, sed etiam de aliis censuris.

Quoad excommunicationes in bullâ *Cœnæ* contentas, licet hæc bulla non recepta sit in Galliâ, quædam tamen ex eis etiam apud nos vigent, sed tantummodo vi juris communis, ac proinde cum solis conditionibus ab eo vel consuetudine determinatis.

NOTA XXV.

(Pag. 273, lin. 2, ad verb. *In hæresi decessisse.*)

In Galliis hæretici, juxta multos, non habentur irregulares; id saltem videtur certum de hæreticorum filiis, qui promoventur ad ordines absque dispensatione. Quantum ad carnifices, constat eos esse irregulares, non ob infamiam præcisè, sed ex defectu lenitatis. Macellarii autem, comedii, tabernarii publici, etc. vulgo habentur ut irregulares ex defectu famæ.

NOTA XXVI.

(Pag. 313, lin. 5, ad verb. *Adjuvant.*)

Licet ex jure communi vetitum sit clericis in sacris constitutis ne se intromittant in causam sanguinis, vulgò tamen in Galliis eximunt tum à peccato, tum ab irregularitate clericum qui contra reum testificatur, non sponte sua, sed ob præceptum judicis.

Quoad illos cives qui de rei culpabilitate pronuntiant, gallice *ies Jurés*, quamvis quidam putent eos esse irregulares, id tamen dubium videtur, quia non voluntariè munus cooperationis suscipiunt.

INDEX

CAPITUM ET DUBIORUM,

QUI ANNECTUNTUR OMNIA SUMMARIA, QUÆ SINGULIS CAPITIBUS ET DUBIIS APPONUNTUR, UT SIMUL HIC PRÆ OCULIS HABEANTUR CUNCTÆ RES ET QUÆSTIONES, QUÆ IN SEPTIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

LIBRI SEXTI

TRACTATUS SEXTUS.

CAPUT III. — De Impedimentis Matrimonii. Pag. 1

978. Impedimenta alia sunt impedientia, alia dirimentia. 979. An Ecclesia possit constituere impedimenta dirimentia. 980. Quis possit ea constituere. Dubitatur 1. An Episcopi. 981. Dubitatur 2. An impedimenta dirimentia apposita ab Ecclesia obligent infideles.

DUBIUM I. — Quæ sint impedimenta impedientia tantum. 2

982. Quæ reddant Matrimonium illicitum. I. Ecclesiæ vetitum, scilicet prohibitio Episcopi, etc. 983. II. Tempus feriarum, quæ prohibentur solemnitates, Benedictio, etc. 984. Dubitatur 1. An tunc liceat consummare. Dubitatur 2. An liceat consummare ante Benedictionem. 985. III. Catechismus. IV. Crimen, scilicet incestus, raptus, uxoricidium, etc. V. Sponsalia. 986. VI. Votum castitatis, aut Religionis. Dubitatur 1. An Episcopus possit dispensare in voto castitatis emisso post Matrimonium. 987. Dubitatur 2. An in voto emisso ante Matrimonium, ad debitum petendum. An id possint Mendicantes. Dubitatur 3. An aliquando Episcopi, etiam ad Matrimonium contrahendum. 988. Impedit etiam Matrimonium. I. Clandestinitas. II. Omissio Benedictionis. 989. III. Omissio denunciationum. 990. Dubitatur 1. An peccet graviter Parochus eas omittens, si aliunde sciat non esse impedimentum? Et quod dicitur de obligatione denunciationum ante Matrimonium, idem dicitur post illud. Quid si una tantum denunciatio omittatur. 991. Dubitatur 2. An denunciations faciendæ in Ecclesia, et in Missa. Dubitatur 3. In qua Parochia debeant fieri. 992. Dubitatur 4. In quibus diebus festis. Et an aliquando possint fieri in diebus ferialibus. 993. Quando sint repetendæ. 994. De obligatione denunciandi impedimenta. 995. Dubitatur 1. An teneatur denunciare impedimentum qui illud probare nequit. 996. Dubitatur 2. An unus testis de impedimento impediât Matrimonium. 997. Requisita ut talis testis impediât. 998. Dubitatur 3. An sufficiat unus testis, si sponsalia fuerint jurata. 999. An fama impediât Matrimonium. Quid si Judex privatam habuerit notitiam famæ, aut ipsius impedimenti. 1000. An contrahens teneatur impedimentum fateri. 1001. Quid debeat agere Parochus cognito impedimento. 1002. Dubitatur 1. An Parochus teneatur impedire Matrimonium, si ipse solus noverit impedimentum. Du-

intervallum exigitur ut denuò fieri debeant proclamationes si matrimonium non statim sequatur. De his consule statuta vel consuetudinem tuæ diœcesis.

NOTA V.

(Pag. 18, lin. 6, ad verb. *Ferendæ sententiæ.*)

Præter hannonum ecclesiasticas proclamationes, aliæ insuper civiles ex codice novo requiruntur, quæ licet parochos non spectent, de iis tamen quædam hic notanda iudicavimus.

1º Jure civili duæ tantum proclamationes requiruntur, quæ fieri debent ante januam domus communis ab officario publico, duabus dominicis diebus sese immediate subsequentibus. Insuper exemplar instrumenti proclamationem continentis ad valvas domus communis affixum maneat necesse est per totum tempus quod inter utramque intercedit. Matrimonium autem celebrari non potest ante diem tertium ab ultimâ proclamatione. Codex civilis, *art. 63 et 64.*

2º Denunciationes fieri debent in loco ubi uterque contrahentium habet domicilium, et etiam in loco domicilii præcedentis, si domicilium actuale non nisi per sex menses stabiliatur, et insuper si contrahentes sint minores, in domicilio eorum sub quorum potestate constituuntur. *Art. 166 et seqq.*

3º Si intra annum ab ultimâ proclamatione matrimonium non celebretur, iterandæ sunt proclamationes. *Art. 65.*

4º Unius tantum proclamationis dispensatio obtineri potest. *Art. 169.* Hæc autem dispensatio per procuratorem regium obtinetur.

5º Vulgo censent jurisperiti proclamationes civiles non præcipi sub penâ nullitatis.

NOTA VI.

(Pag. 25, lin. 12, ad verb. *Legalis.*)

Cum non vigentem olim in Galliis adoptionem codex novus introduxerit, dubium occurrit utrum cum eâ revixerint impedimenta ecclesiastica. Porro circa hoc disputatur inter theologos; unde matrimonium non esset celebrandum nisi prius obtentâ dispensatione. Notandum est autem impedimenta ecclesiastica quæ ex adoptione proveniunt non consentire cum impedimentis novâ lege statutis. De his vide quæ infra dicentur ubi de impedimentis civilibus.

NOTA VII.

(Pag. 27, lin. 8, ad verb. *Tertio.*)

Jus civile eodem modo gradus consanguinitatis computat in lineâ rectâ quam jus canonicum: multum vero ab eo differt in computandis gradibus in lineâ collateralis. Tot enim numerat gradus quot sunt personæ ascendendo ad stipitem et ab hoc descendendo, dempto tamen stipite. Unde fratres sunt inter se in secundo gradu, avunculus et nepos in tertio, consobrini germani in quarto et sic deinceps. Ita *cod. civ. art. 738.*

NOTA VIII.

(Pag. 32, lin. 20, ad verb. *Subsecuta sit.*)

Cum attentatio matrimonii sive ante, sive post adulterium, sed durante matrimonio legitimo, impedimentum constituat, inde sequitur eos qui post divortium legale, priori non obstante matrimonio, aliud contraxerunt et copulam habuerunt, non posse in posterum simul jungi quin impedimenti dispensationem obtineant.

NOTA IX.

(Pag. 49, lin. 45, ad verb. *In casu necessitatis.*)

Quamvis auctor generatim affirmet cum aliis theologis matrimonium sine paroco contractum, etiam in casu necessitatis, invalidum esse, ubi tridentina lex viget, certum tamen videtur legem hanc non obligare cum adest moralis impossibilitas parochum adeundi, v. gr. tempore persecutionis; et ita pluries à SS. PP. responsum est pro tempore perturbationis gallicanæ. Si tamen haberi posset alius sacerdos à paroco vel ab ordinario deputatus, absque dubio adeundus esset; imo quidam putant idem dicendum, si posset alius sacerdos haberi, quamvis non deputatus. Sed in his casibus semper requiritur præsentia testium.

Ex his sequitur matrimonia inita tempore persecutionis gallicanæ, coram solo magistratu vel sacerdote intruso, fuisse invalida quotiescumque possibilis erat recursus ad parochum legitimum vel ad alium sacerdotem deputatum. Quæ autem fiebant apud parochum titularem quamvis schismaticum valida erant, sed illicita, modo tamen contrahentes domicilium habuerint in territorio quod parochiam illius constituebat ante novam civilem circumscriptionem. Ratio est quia illi parochi suum titulum non amiserant per juramentum.

NOTA X.

(Pag. 51, lin. 45, ad verb. *Gravi.*)

Quæ ab auctore dicuntur de paroco validè matrimoniis assistente, quamvis id ipsi fuerit ab episcopo justè interdictum, non debent intelligi de paroco *succursali*, cum iste non habeat nisi jurisdictionem ad nutum episcopi revocabilem.

NOTA XI.

(Pag. 55, lin. 5, ad verb. *Contrahendi.*)

Antequam vagorum hanna proclametur, non solum certus esse debet parochus eos esse liberos, sed insuper ab iis exquirere debet instrumenta authentica quibus constet de eorum baptismo, ætate, loco nativitatis, de consensu vel morte parentum, etc. Idem exigendum pariter à militibus, pro quibus aliundè necessaria est superiorum militarium licentia. Disputatur autem utrum matrimonium illorum

valide celebrari possit coram exercitûs capellanis saltem ubi degunt in regionibus catholicis, ac proinde obtinenda foret licentia parochi loci.

NOTA XII.

(Pag. 56, lin. 15, ad verb. *In domibus herorum.*)

Non eadem est omnium diœceseon disciplina quoad tempus requisitum et alias condiciones ut domicilium sufficiens acquiratur ad matrimonium contrahendum. Hinc consulendæ sunt leges vel consuetudines locorum.

In nonnullis diœcesibus, dispositiones codicis civilis adoptatæ fuerunt. Porro juxta codicem civilem, *art. 74*, domicilium acquiritur pro matrimonio, si quis constanter habitet in eodem loco per sex menses. Et id verum est ex jurisperitorum interpretatione, quamvis intentione non habeat illuc domicilium transferendi. Unde matrimonium ibi valide contrahi potest, sicut etiam tunc valide contrahitur in domicilio propriè dicto. Illud autem domicilium propriè dictum in eo loco est ubi quisque præcipuam habitationis et negotiorum sedem fixit. Minores autem illud domicilium habent apud patrem et matrem vel tutorem, quamvis etiam illi contrahere possint in domicilio facti, post sufficientem habitationem, ut docent jurisperiti. Vide *cod. civ. art. 102 et seqq.*

Si verò non satis constet de sufficienti domicilio, propter incertam diœcesis disciplinam, petenda est ab alterius domicilii parochia licentia.

NOTA XIII.

(Pag. 66, lin. 28, ad verb. *Ne coactæ nubant.*)

Admittunt communiter theologi gallicani raptum seductionis etiam impedimentum constituere. Unde quamvis hæc sententia non omninò firmis rationibus innitatur, cum sit tamen probabilis et tutior, huic in praxi standum est.

NOTA XIV.

(Pag. 80, lin. 44, ad verb. *A nuptiis desistere.*)

Præter casus apud auctorem memoratos in quibus episcopi jure communi dispensare possunt, tenent insuper episcopi per plures ex usu et præscriptione legitima, facultatem in aliis quibusdam impedimentis dispensandi. Usus autem ille varius est ac proinde non omnes eandem et æqualem habent facultatem.

NOTA XV.

(Pag. 92, lin. 17, ad verb. *Dirigendæ.*)

Præter canonica impedimenta de quibus apud auctorem disseritur, quædam sunt in Galliis lege civili introducta, quorum notitiam compe-

tentem parochos habere necesse est, cum hæc ad praxim referant et gravium sæpè difficultatum occasionem præbere possint. De iis ergo quædam maxime scitu necessaria hic annotare opportunum duximus. Hæc autem impedimenta sunt sequentia:

I. *Error.* Illud juris naturalis impedimentum expressè agnoscit codex civilis; sed non ultra naturæ limites illud extendit, proindeque standum est regulis apud auctorem expositis. De illius autem effectu quædam in lege adduntur quæ sedulo notanda sunt.

ART. 180. Le mariage qui a été contracté sans le consentement libre des deux époux, ou de l'un d'eux, ne peut être attaqué que par les époux, ou par celui des deux dont le consentement n'a pas été libre.

Lorsqu'il y a eu erreur dans la personne, le mariage ne peut être attaqué que par celui des deux époux qui a été induit en erreur.

ART. 181. Dans le cas de l'article précédent, la demande en nullité n'est plus recevable, toutes les fois qu'il y a eu cohabitation continuée pendant six mois depuis que l'époux a acquis sa pleine liberté ou que l'erreur a été par lui reconnue.

II. *Conditio.* Cum in Galliis servitus proprietate locum habere non possit, hic tantum quæstio est de civiliter mortuis. Porro in lege nova matrimonia civiliter mortuorum nulla omninò quoad effectus civiles declarantur. Ita codex civilis, *art. 25*. Non autem irrita sunt quoad vinculum, quia mortuis civiliter aufertur tantummodò conditio civilis non autem naturalis, ideoque possunt ii valide inire omnes juris naturæ contractus. Patet etiam quòd error circa conditionem civiliter mortui matrimonium non dirimeret quoad vinculum, siquidem error personæ non autem qualitatum in lege reputatur impedimentum dirimens. Imo censent plures jurisperiti quòd sive parti bonæ fide contrahenti, sive etiam proli civiles effectus concederentur. Ita etiam judicavit curia suprema. *Arrêt de la cour de Cassat. du 6 janv. 1816.*

III. *Cognatio.* Duplex in lege cognatio agnoscitur, alia naturalis, alia legalis. Utraque parit civile impedimentum.

De cognatione naturali hæc in codice statuuntur.

ART. 161. En ligne directe, le mariage est prohibé entre tous les ascendans et descendans légitimes ou naturels, et les alliés dans la même ligne.

ART. 162. En ligne collatérale, le mariage est prohibé entre le frère et la sœur légitimes ou naturels, et les alliés au même degré.

ART. 163. Le mariage est encore prohibé entre l'oncle et la nièce, la tante et le neveu.

Ultimus autem hic articulus intelligi debet de proavunculo et pronepote, gallicè *le grand oncle et la petite nièce*. Ita declaratio consilii status, die 17 maii anni 1808 approbata, quæ proinde vim legis habet. Utrum autem comprehendat solummodo amitam et nepotem, avunculum et neptem legitimos, an etiam merè naturales, non consentiunt jurisperiti. Ex duobus autem prioribus articulis matrimonium inter ascendentes et descendentes, inter fratres et sorores merè naturales invalidum esse putat Delvincourt, licet cognatio non legaliter agnita foret, quia lex generaliter loquitur et aliundè *legalis* agnitio consanguinitatem probat, sed non illam efficit.

De cognatione legali sic in codice statuuntur;

ART. 348. L'adopté restera dans sa famille naturelle, et y conservera tous ses droits: néanmoins le mariage est prohibé, — Entre l'adoptant, l'adopté et ses descendans; — Entre les enfans adoptifs du même indi-

vidu : — Entre l'adopté et les enfans qui pourraient survenir à l'adoptant : — Entre l'adopté et le conjoint de l'adoptant, et réciproquement entre l'adoptant et le conjoint de l'adopté.

IV. *Crimen*. Adulterium olim, si divortium propter hanc causam pronuntiatum fuerat, matrimonium inter complices in perpetuum dirimebat, ne ad adulterium spe matrimonii incitarentur. Unde illi quorum matrimonium vigente lege de divortio sic dissolutum est, etiam nunc cum suo complice contrahere non possunt. Vide cod. civ. art. 298.

V. *Metus*. Impedimentum quod ex metu nascitur agnoscit etiam lex civilis. Metus autem impedimentum constituit cum malum grave et imminens timetur, sive illud imminet ipsi contrahenti, sive ejus ascendentibus aut descendentibus, sive metus incutiatur ab uno contrahentium, sive à tertiâ personâ. A quo autem et quando matrimonii nullitas postulari debeat, vide in articulis quos retulimus, ubi de errore.

VI. *Ligamen*. Matrimonium validè contractum cum formalitatibus lege definitis impedimentum est dirimens; et qui hoc matrimonio nondum dissoluto aliud attentaret pœnâ trimerium plecteretur.

ART. 147. On ne peut contracter un second mariage avant la dissolution du premier.

ART. 188. L'époux au préjudice duquel a été contracté un second mariage, peut en demander la nullité, du vivant même de l'époux qui était engagé avec lui.

ART. 189. Si les nouveaux époux opposent la nullité du premier mariage, la validité ou la nullité de ce mariage doit être jugée préalablement.

ART. 340. Quiconque étant engagé dans les liens du mariage en aura contracté un autre avant la dissolution du précédent, sera puni de la peine des travaux forcés à temps.

L'officier public qui aura prêté son ministère à ce mariage, connaissant l'existence du précédent, sera condamné à la même peine.

Etiam post dissolutionem sui matrimonii mulier aliud inire non potest nisi decem menses effluxerint. Controvertitur autem utrum hæc prohibitio pœnam nullitatis importet.

ART. 228. La femme ne peut contracter un nouveau mariage qu'après dix mois révolus depuis la dissolution du mariage précédent.

VII. *Affinitas*. Quæ de affinitate codex civilis statuerit jam vidimus ubi de cognatione. Hic autem notandum est 1.º affinitatem locum habere in foro civili, licet matrimonium consummatum non fuerit; 2.º illam, juxta quosdam, oriri etiam ex commercio illicito; 3.º tandem matrimonium juxta plures, non dirimi inter avunculum et neptem, vel amitam et nepotem, si non sint consanguinei, sed tantum affinitate conjuncti.

VIII. *Ætas*. Vir sive mulier ante certam ætatem matrimonium civiliter contrahere non possunt. Hæc ætas autem non eadem est quam quæ jure canonico requiritur.

ART. 144. L'homme avant dix-huit ans révolus, la femme avant quinze ans révolus, ne peuvent contracter mariage.

ART. 185. Néanmoins le mariage contracté par des époux qui n'avaient point encore l'âge requis, ou dont l'un des deux n'avait point atteint cet âge, ne peut plus être attaqué, 1.º lorsqu'il s'est écoulé six mois depuis que cet époux ou les époux ont atteint l'âge compétent; 2.º lorsque la femme qui n'avait point cet âge a conçu avant l'échéance de six mois.

ART. 186. Le père, la mère, les ascendans et la famille qui ont consenti au mariage contracté dans le cas de l'article précédent, ne sont point recevables à en demander la nullité.

IX. *Defectus consensus paterni*. Filii sive legitimi, sive naturales, item et filix ante majoritatem adeptam matrimonium valide contrahere non possunt absque consensu parentum. De illius consensus necessitate ita statuitur in codice civili.

ART. 148. Le fils qui n'a pas atteint l'âge de vingt-cinq ans accomplis, la fille qui n'a pas atteint l'âge de vingt-un ans accomplis, ne peuvent contracter mariage sans le consentement de leurs père et mère : en cas de dissentiment, le consentement du père suffit.

ART. 149. Si l'un des deux est mort, ou s'il est dans l'impossibilité de manifester sa volonté, le consentement de l'autre suffit.

ART. 150. Si le père et la mère sont morts, ou s'ils sont dans l'impossibilité de manifester leur volonté, les aïeux et aïeules les remplacent : s'il y a dissentiment entre l'aïeul et l'aïeule de la même ligne, il suffit du consentement de l'aïeul.

S'il y a dissentiment entre les deux lignes, ce partage emportera consentement.

ART. 160. S'il n'y a ni père ni mère, ni aïeux ni aïeules, ou s'ils se trouvent tous dans l'impossibilité de manifester leur volonté, les fils ou filles mineurs de vingt-un ans ne peuvent contracter mariage sans le consentement du conseil de famille.

Adepta autem majoritate, quæ, ut videre est in articulis præcedentibus, varia est in ordine ad matrimonium, pro variis circumstantiis, filii aut filix consensum parentum saltem petere debent per actum obsequiosum antequam matrimonium contrahant. Hos autem actus obsequiosos non requiri sub pœna nullitatis apud omnes constat. Vide, si libet, codicem civilem, art. 151 et seqq.

ART. 158. Les dispositions contenues aux articles 148 et 149, et les dispositions des articles 151, 152, 153, 154 et 155, relatives à l'acte respectueux qui doit être fait aux père et mère dans le cas prévu par ces articles, sont applicables aux enfans naturels légalement reconnus.

ART. 159. L'enfant naturel qui n'a point été reconnu, et celui qui, après l'avoir été, a perdu ses père et mère, ou dont les père et mère ne peuvent manifester leur volonté, ne pourra, avant l'âge de vingt-un ans révolus, se marier qu'après avoir obtenu le consentement d'un tuteur ad hoc qui lui sera nommé.

Nullitas matrimonii à minore contracti absque consensu requisito parentum, etc. non potest invocari nisi ab iis quorum erat consensum dare vel à sponso qui consensu indigebat.

ART. 182. Le mariage contracté sans le consentement des père et mère, des ascendans, ou du conseil de famille, dans les cas où ce consentement était nécessaire, ne peut être attaqué que par ceux dont le consentement était requis, ou par celui des deux époux qui avait besoin de ce consentement.

ART. 183. L'action en nullité ne peut plus être intentée ni par les époux, ni par les parens dont le consentement était requis, toutes les fois que le mariage a été approuvé expressément ou tacitement par ceux dont le consentement était nécessaire, ou lorsqu'il s'est écoulé une année sans réclamation de leur part, depuis qu'ils ont eu connaissance du mariage. Elle ne peut être intentée non plus par l'époux, lorsqu'il s'est

écoulé une année sans réclamation de sa part, depuis qu'il a atteint l'âge compétent pour consentir par lui-même au mariage.

X. *Clandestinitas*. Matrimonium clandestinum jure civili sicut canonico invalidum est. Tria autem præcipue requiruntur ad vitandam clandestinitatem; 1.º Bannorum proclamatio; 2.º præsentia magistratûs et testium; 3.º publicitas celebrationis.

De bannorum proclamationibus jam supra diximus ex consensu jurisperitorum eas non requiri sub pœnâ nullitatis, nisi tamen conjugium à Gallis extra regnum iniatur, ut plures opinantur et probabiliter infertur ex art. 170 Codicis civilis.

ART. 170. Le mariage contracté en pays étranger entre Français, et entre Français et étrangers, sera valable, s'il a été célébré dans les formes usitées dans le pays, pourvu qu'il ait été précédé des publications prescrites par l'article 63, au titre *des Actes de l'état civil*, et que le Français n'ait point contrevenu aux dispositions contenues au chapitre précédent.

Quantum ad præsentiam magistratûs constat eam omnino necessariam esse ad matrimonii validitatem.

ART. 165. Le mariage sera célébré publiquement, devant l'officier civil du domicile de l'une des deux parties.

ART. 191. Tout mariage qui n'a point été contracté publiquement, et qui n'a point été célébré devant l'officier public compétent, peut être attaqué par les époux eux-mêmes, par les père et mère, par les ascendants, et par tous ceux qui y ont un intérêt né et actuel, ainsi que par le ministère public.

Quid intelligatur nomine domicilii in ordine ad matrimonium jam supra dictum est.

Testes requisiti debent esse numero quatuor, masculini sexûs et ætate majores. Attamen vulgò tenetur duos tantum sufficere ad validitatem matrimonii, et ita Gratianopoli judicatum est anno 1817.

Publicitatem celebrationis requiri etiam certum est ad matrimonii validitatem. Quid autem constituat publicitatem lex non definit, nec consentiunt jurisperiti. Censet D. Proudhon sufficere præsentiam officarii publici et testium requisitorum; alii autem probabilius volunt necessarium esse ut quicumque voluerit adesse possit. Insuper matrimonium celebrari debet in *domo communi*, an autem id requiratur sub pœnâ nullitatis disputatur inter jurisperitos. Vulgò tamen admittitur pendere hoc à variis circumstantiis quæ ad judicium arbitrium relinquuntur. Fieri enim potest ut celebratio matrimonii licet in alio loco facta satis publica fuerit, et tunc sine dubio validum censeretur ut pluries a tribunalibus judicatum est, et imprimis à curiâ supremâ anno 1807.

Circa impedimenta civilia notandum est 1.º ea omnia quæ personalem incapacitatem constituunt, qualia sunt defectus ætatis, libertatis aut consensûs paterni, ligamen, affinitas, consanguinitas, matrimonium Gallorum dirimere quocumque ierint, ut constat tum ex art. 170 antea citato; tum ex art. 3 in quo expresse statuitur Gallos ubicumque etiam extra regnum affici et regi legibus circa statum et capacitatem personarum. Unde matrimonium cum his impedimentis apud exteras regiones contractum nihilominus invalidum judicaretur. Excipe tamen si quis Gallus esse et reputari desinat, v. gr. domicilium extra regnum transferendo sine intentione reditûs.

2.º Tria sunt impedimenta de quibus à rege dispensari potest, scilicet

defectus ætatis, ex art. 145; consanguinitas sive inter avunculum et neptem, sive inter amitam et nepotem ex art. 164; tandem affinitas in linea collateralali, Gallicè *entre beaux-frères et belles-sœurs*, ex lege anni 1832. Illæ autem dispensationes per procuratorem regium postulari debent.

3.º Nullitas matrimonii ob impedimenta civilia non semper ejusdem naturæ est. Aliquando enim post certum temporis lapsum vel positis quibusdam circumstantiis, hæc nullitas invocari non potest, ut videre est pro impedimentis erroris, violentiæ, et ex defectu ætatis aut consensûs paterni. Tunc enim elapso tempore et positis circumstantiis impedimenta vi legis ipsius relaxantur, et matrimonium vi consensûs perseverantis fit validum, quia jam observatis solemnitatibus ordinariis, nullas alias lex requirit. Aliquando etiam nullitas invocari non potest nisi à certis personis, ut pariter videre est in art. 180 et sequentibus. In aliis autem casibus nullitas non cessat nisi cessante causâ vel per dispensationem; et ab omnibus quorum interest potest invocari.

ART. 184. Tout mariage contracté en contravention aux dispositions contenues aux articles 144, 147, 161, 162 et 163, peut être attaqué soit par les époux eux-mêmes, soit par tous ceux qui y ont intérêt, soit par le ministère public.

ART. 190. Le procureur du roi, dans tous les cas auxquels s'applique l'article 184, et sous les modifications portées en l'article 185, peut et doit demander la nullité du mariage, du vivant des deux époux, et les faire condamner à se séparer.

Idem pro clandestinitate statuitur in art. 191 quem supra retulimus.

4.º Impedimenta civilia, ut cuique patebit, non eadem sunt quam impedimenta canonica. Ex his enim plura lex omisit; alia non eodem modo definit; quædam etiam superaddidit. Hic ergo quæri potest utrum matrimonium cum impedimento merè civili contractum, invalidum sit etiam quoad forum conscientiæ. Circa hoc Theologi hodierni disputant. Attamen probabilior videtur sententia affirmans, quia ex unâ parte principes posse impedimenta vere dirimentia constituere satis communiter admittitur, et ex alia parte codex civilis verba usurpat adeo absoluta ut nulli dubium esse possit quin legislatores fœdus etiam naturale irritare voluerint. Quidquid sit, hæc sententia saltem in praxi certò tenenda est utpote probabilis et tutior. Unde 1.º fideles tenentur in conscientiâ coram magistratu civili contrahere; tum quia lex civilis id præcipit sub pœnâ nullitatis, tum quia, si matrimonium coram Ecclesiâ tantum inirent, possent aliud etiam coram officario publico contrahere, ex quo gravia scandala orientur. Aliundè sub gravissimâ pœna parochis prohibetur ne suum ministerium præstent iis qui coram magistratu civili nondum contraxerunt: 2.º Parochi benedictionem nuptialem iis impertire non debent quos sciunt civili impedimento irrelitos, etsi jam civiliter contraxissent, nisi postquam nullitas amplius invocari non potest; sive quia matrimonium probabiliter invalidum esset etiam in foro conscientiæ, sive quia posset civiliter dissolvi, ex quo, ut jam diximus, scandala vel alia mala orientur.

DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS.

NOTA XVI.

(Pag. 104, lin. 3, ad verb. *Exempto.*)

Quæ apud auctorem de regularium exemptione leguntur, in Galliis locum non habent, cum apud nos monasteria et religiosi episcoporum jurisdictioni subiciantur. Imò jam ex veteri disciplinâ olim receptum erat ut censuræ ab episcopis in religiosos ferri possint propter causas regimen diœcesis spectantes, v. gr., si religiosi confessiones secularium audirent vel à casibus reservatis absolverent, non obtenta episcopi facultate.

NOTA XVII.

(Pag. 124, lin. 16, ad verb. *Omnes censuras.*)

Quamvis juxta plures Theologos quilibet sacerdos approbatus possit à censuris non reservatis absolvere etiam extra confessionem, in Galliis tamen usus est contrarius. Notandum insuper quòd si censura ad forum contentiosum deducta sit, simplex sacerdos ab eâ non possit absolvere.

NOTA XVIII.

(Pag. 125, lin. 34, ad verb. *Non potest adiri.*)

In quibusdam diœcesibus ex usu possunt episcopi absolvere à censuris papalibus modo non sint notoriæ notorietate juris, id est in foro externo sufficienter comprobatæ; in aliis vero non possunt si notoriæ sint etiam sola notorietate facti. De iis consuli debent locorum consuetudines et statuta.

NOTA XIX.

(Pag. 127, lin. 11, ad verb. *Titulum habeant.*)

Quamvis concilium Tridentinum in Galliis quoad omnia non fuerit receptum, episcopi tamen ex usu et præscriptione legitimâ, facultatem obtinent ab eo concessam quoad casus occultos. Imò communiter à theologis gallis admittitur episcopos et vicarios generales hanc facultatem aliis sacerdotibus delegare posse.

NOTA XX.

(Pag. 127, lin. 41, ad verb. *In ea reservatos.*)

Bulla Cœnæ in Galliis recepta non est, ac proinde juri communi et legitimis stare licet consuetudinibus. Episcopi autem apud nos non tan-

tum per se, sed etiam per vicarios generales, imo et per delegatos, ab hæresi etiam publicâ sive pro foro interno, sive pro externo absolvere consueverunt; quod quidem per longam et legitimam præscriptionem vii juris obtinuisse censetur.

NOTA XXI.

(Pag. 131, lin. 40, ad verb. *Exigitur persona.*)

Quamvis jure communi præcipiatur absolutis ab episcopo vel ejus delegato, ut cessante impedimento ad sedem apostolicam se præsentent, usus tamen contrarius in Galliis prævaluit. Unde sic absoluti ab omni obligatione et pœnâ eximuntur præter impositam satisfactionem; nec ob negligentiam vel omissionem sese præsentandi in eandem censuram reincident, nisi qui hos absolvit hanc obligationem expressè imposuerit et sub pœna reincidenti. Hæc tamen et alia de usu Galliarum generali sic intelligi debent ut semper excipiantur aliquæ forsan diœceses ubi alia vigeret disciplina specialis. Notandum insuper quod etiam in Galliis adsit obligatio sese præsentandi ad episcopum, sed non sub pœnâ reincidenti, pro pœnitente qui in casu necessitatis à censurâ reservatâ absolutus fuit à sacerdote pro alio casu facultatem non habente.

NOTA XXII.

(Pag. 156, lin. 2, ad verb. *Est vitandus.*)

In Galliis disciplina generalis conformis est huic sententiæ quæ tenet clericum percussorem non esse vitandum nisi fuerit juridicè convictus.

NOTA XXIII.

(Pag. 170, lin. 25, ad verb. *Possit ipse.*)

Quæ apud auctorem leguntur de officiis sæcularibus, nempe iudicis, advocati, procuratoris, testis, tutoris, etc., quibus privari contendit excommunicatum vitandum, non recepta sunt in Galliis ubi jam à longo tempore vigeat contraria consuetudo.

NOTA XXIV.

(Pag. 180, lin. 4, ad verb. *Excommunicatio major.*)

Non omnes excommunicationes quæ apud auctorem recensentur, sive tanquam non reservatæ, sive tanquam Episcopis aut S. Pontifici reservatæ, in Galliis vim obtinent. Quædam enim vel nunquam admittæ fuerunt, vel desuetudine abrogatæ sunt. Quæ autem vigeant et quæ reservantur non eadem sunt in omnibus diœcesibus. Quapropter ab iis recensendis abstinemus. Inter censuras non reservatas quænam adhuc vigeant non necesse est ut perfecte sciant confessarii, nisi quantum ad eos spectat et ne has incurrant: nam alios ab his absolvere possunt confessarii quilibet approbati: aliæ autem quæ in variis diœcesibus vel episcopis vel S. Pontifici reservantur, ordinariè notatas reperire est in

ritualibus aut statutis aut litteris approbatoriis; quæ igitur à confessariis sedulo consulenda sunt. Hæc dicta sint non solum de excommunicatione, sed etiam de aliis censuris.

Quoad excommunicationes in bullâ *Cœnæ* contentas, licet hæc bulla non recepta sit in Galliâ, quædam tamen ex eis etiam apud nos vigent, sed tantummodo vi juris communis, ac proinde cum solis conditionibus ab eo vel consuetudine determinatis.

NOTA XXV.

(Pag. 273, lin. 2, ad verb. *In hæresi decessisse.*)

In Galliis hæretici, juxta multos, non habentur irregulares; id saltem videtur certum de hæreticorum filiis, qui promoventur ad ordines absque dispensatione. Quantum ad carnifices, constat eos esse irregulares, non ob infamiam præcisè, sed ex defectu lenitatis. Macellarii autem, comedii, tabernarii publici, etc. vulgo habentur ut irregulares ex defectu famæ.

NOTA XXVI.

(Pag. 313, lin. 5, ad verb. *Adjuvant.*)

Licet ex jure communi vetitum sit clericis in sacris constitutis ne se intromittant in causam sanguinis, vulgò tamen in Galliis eximunt tum à peccato, tum ab irregularitate clericum qui contra reum testificatur, non sponte sua, sed ob præceptum judicis.

Quoad illos cives qui de rei culpabilitate pronuntiant, gallice *ies Jurés*, quamvis quidam putent eos esse irregulares, id tamen dubium videtur, quia non voluntariè munus cooperationis suscipiunt.

INDEX

CAPITUM ET DUBIORUM,

QUI ANNECTUNTUR OMNIA SUMMARIA, QUÆ SINGULIS CAPITIBUS ET DUBIIS APPONUNTUR, UT SIMUL HIC PRÆ OCULIS HABEANTUR CUNCTÆ RES ET QUÆSTIONES, QUÆ IN SEPTIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

LIBRI SEXTI

TRACTATUS SEXTUS.

CAPUT III. — De Impedimentis Matrimonii. Pag. 1

978. Impedimenta alia sunt impedientia, alia dirimentia. 979. An Ecclesia possit constituere impedimenta dirimentia. 980. Quis possit ea constituere. Dubitatur 1. An Episcopi. 981. Dubitatur 2. An impedimenta dirimentia apposita ab Ecclesia obligent infideles.

DUBIUM I. — Quæ sint impedimenta impedientia tantum. 2

982. Quæ reddant Matrimonium illicitum. I. Ecclesiæ vetitum, scilicet prohibitio Episcopi, etc. 983. II. Tempus feriarum, quæ prohibentur solemnitates, Benedictio, etc. 984. Dubitatur 1. An tunc liceat consummare. Dubitatur 2. An liceat consummare ante Benedictionem. 985. III. Catechismus. IV. Crimen, scilicet incestus, raptus, uxoricidium, etc. V. Sponsalia. 986. VI. Votum castitatis, aut Religionis. Dubitatur 1. An Episcopus possit dispensare in voto castitatis emisso post Matrimonium. 987. Dubitatur 2. An in voto emisso ante Matrimonium, ad debitum petendum. An id possint Mendicantes. Dubitatur 3. An aliquando Episcopi, etiam ad Matrimonium contrahendum. 988. Impedit etiam Matrimonium. I. Clandestinitas. II. Omissio Benedictionis. 989. III. Omissio denunciationum. 990. Dubitatur 1. An peccet graviter Parochus eas omittens, si aliunde sciat non esse impedimentum? Et quod dicitur de obligatione denunciationum ante Matrimonium, idem dicitur post illud. Quid si una tantum denunciatio omittatur. 991. Dubitatur 2. An denunciations faciendæ in Ecclesia, et in Missa. Dubitatur 3. In qua Parochia debeant fieri. 992. Dubitatur 4. In quibus diebus festis. Et an aliquando possint fieri in diebus ferialibus. 993. Quando sint repetendæ. 994. De obligatione denunciandi impedimenta. 995. Dubitatur 1. An teneatur denunciare impedimentum qui illud probare nequit. 996. Dubitatur 2. An unus testis de impedimento impediât Matrimonium. 997. Requisita ut talis testis impediât. 998. Dubitatur 3. An sufficiat unus testis, si sponsalia fuerint jurata. 999. An fama impediât Matrimonium. Quid si Judex privatam habuerit notitiam famæ, aut ipsius impedimenti. 1000. An contrahens teneatur impedimentum fateri. 1001. Quid debeat agere Parochus cognito impedimento. 1002. Dubitatur 1. An Parochus teneatur impedire Matrimonium, si ipse solus noverit impedimentum. Du-